

hibitionem, in qua præponendi sunt parentes. Unde honora dicit, non dilige. Obviat etiam illis illud quod Hieronymus super Ezechielem, cap. XLIV. 25. ait, scilicet ut ordine charitatis (sicut scriptum est: „Or-
dinavit in me charitatem“) post omnium patrem Deum carnis quoque pater diligatur, & mater, & filius, & filia, & frater, & soror. Ambrosius (b) quoque diligendi exprimens ordinem, super illud Cant. cap. 11. Ordinavit in me charitatem, ait: „Multorum charitas inordinata est. Quod in primo est, ponunt tertium, vel quartum. Primo Deus diligendus est, secundo parentes, tertio filii, post domestici; qui si boni sunt, malis filiis præponendi sunt: secundum hoc in Evangelio ad cuiusque dilectionem proprium ponit, Marc. XII. 30. & 31. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totis viribus tuis; & proximum tuum sicut te ipsum: & inimicos non ex tota virtute, non sicut te ipsum, sed simpliciter. Sufficit enim quod diligimus, & non odio habemus.“ Ecce hic ex præmissis aperte insinuat quæ in affectu charitatis distinctio sit habenda, ut differenti affectu, non pari homines diligamus; & ante omnium Deum, secundo nos ipsos, tertio parentes, inde filios, & fratres, post domesticos, demum inimicos diligamus. Sed inquit illi, quæ de ordine dilectionis supra dicuntur, esse referenda ad operis exhibitionem, quæ differenter proximis exhibenda sunt: primo parentibus, inde filiis, post domesticos, deinde inimicis; Deum vero tam affectu, quam obsequii exhibitione ante omnia diligendum.

Quod aliqui illorum tradunt, tantum proximum quantum nos esse diligendum.

Quorum etiam nonnulli tradunt, affectu charitatis tantum proximos esse diligendos, quantum nos ipsos diligimus: quod confirmant auctoritate Augustini qui ait de Trinit. Lib. VII. cap. VIII. „Nec illa jam quæstio moveat, quantum charitatis fratri debeamus impendere, quantum Deo. Incomparabiliter plus Deo quam nobis, fratri vero quantum nobis. Nos autem tanto magis diligimus, quanto magis diligimus Deum.“ Ex hoc, & ex præmissis testimoniis Augustini asserunt, omnes homines pariter diligendos à nobis, & tantum quantum nos, Deum autem plus quam nos, corpus vero nostrum minus quam nos, vel proximos. Nec in enumeratione præmissa quatuor diligendorum, ordinem diligendi assignari dicunt, sed tantum quæ sunt diligenda.

Secundum alios non pari affectu omnes diligendi sunt.

Verum quia præmissa verba Ambrosii secundum affectum ordinem diligendi, magis quam secundum effectum diligenter intuentibus explicare videntur, non indocte alii dicunt non solummodo exhibitione operis, sed etiam in affectu charitatis ordinem differentem esse statutum; ut ante omnia diligamus Deum, secundo nos, tertio parentes, quarto filios, vel fratres, & huiusmodi, postea domesticos, demum inimicos.

Determinatio auctoritatum, quæ videntur adversari.

Quod vero Augustinus dicit, pariter omnes esse diligendos, & pari dilectione omnibus vitam optandam, ita accipi potest, ut paritas non ad affectum referatur, sed ad bonum quod eis operatur: quia charitatem omnibus optare debemus, ut paria bona mereantur, sicut Apostolus dicit I. Corinth. VII. 2. „Volo omnes homines esse sicut me.“ Optanda est enim in minoribus perfectio maiorum, ut ipsi fiant perfecti, & sic pariter mereantur beatitudinem: vel pari dilectione, id est eadem dilectione, omnes diligendi sunt. Item quod ait: „Ut tantum diligamus fratres quantum nos:“ ita intelligi potest; id est, ad tantum bonum diligamus fratres ad quantum nos, ut tantum bonum eis optemus in æternitate quantum nobis, etsi non tanto affectu: vel ibi „quantum“, similitudinis est, non quantitatis.

Quæstio de parentibus malis, & aliis bonis.

Solet quæri si parentes nostri mali sint, vel filii, vel fratres, an magis, vel minus diligendi sint aliis bonis hac ratione nobis non copulatis. Videtur quod magis sint diligendi boni qui nobis carne non sunt conjuncti, quam alii carne conjuncti: quia nobis sunt conjuncti corde, glutino charitatis: sanctior est enim copula cordium quam corporum. Unde Beda (c) de illis verbis Domini Matth. XII. 49. „Mater mea, & fratres mei hi sunt qui verbum Dei faciunt,“ ait: „Non injuriose negligit matrem, nec mater negatur, quæ etiam de cruce agnoscitur; sed religiosiores monstrantur copulæ mentium quam corporum.“ Verumtamen latebrosa quæstio est hæc, nec à nobis plene absolventa propterantibus ad alia. Movemur enim super illis verbis quibus inimicos non ex tota virtute, non sicut teipsum jubet diligere, sed simpliciter: sufficit enim quod diligimus, & non odio habemus. Quod non ita est accipiendum, quasi sufficiat tibi diligere inimicum; & non sicut teipsum (quia omnes & amicos, & inimicos sicut teipsum diligere debes) sed ad ostendendum gradus diligendi Deum, & proximum, & inimicum, qui tamen proximus est, quos Dominus ponit cum ait: „Diliges Deum ex tota virtute, & proximum tuum sicut teipsum.“ Non ait „Ex tota virtute“, ut ostendat proximum diligendum minus quam Deum. Dicit etiam: Diligite inimicos vestros, nec addit, „Ex tota virtute“, nec, „Sicut teipsum“, sed simpliciter: sufficit.

Ex Edit. P. Nicol. (b) Ex illo quidem notat Glossa super eundem locum; sed Origenis potius est hom. 111. in Cant. ut in Pantheologia Rayneriana tit. Charitas, cap. 11. notavimus. Nec S. Ambrosius in Cantica commentarium ullum scripsit; sed Ambrosius Ansbertus tantum, etsi collectivius Commentarius ex Ambrosii scriptis consarcinatus inter ejus opera extat; sed nec eadem ibi quæ hic inter alia quæ de ordine charitatis disserit, ut nec in xxxi. cap. Prov. cap. x. ubi etiam de eodem, & Lib. I. de Officiis cap. VII. unde aliquid huc pertinens colligi potest. (c) Mutuatus ex Ambrosio, ex quo & refert S. Thomas plenius in Catena aurea super Lucam.

scit enim quod diligimus, & non odio habemus; id est, sufficit dicere, ut diligamus, ut non odio habeamus; non quin eos diligere debeamus sicut nos, quia proximi sunt; sed sufficit si eos minus diligimus quam alios proximos, quod dilectionis genus innuit.

Quæstio Augustini in Libro Retractationum.

Quæri etiam solet, cur Dominus præceperit diligere inimicos, cum alibi præcipiat odio habere parentes, & filios. Ad quod dicendum est, duo esse diligenda in homine, naturam, & virtutem; virtutem vero, & peccatum esse odiendum. Et parentes ergo, in quantum mali sunt, odiendi sunt; & inimici diligendi, in quantum homines. Diligamus ergo inimicos lucrandos regno Dei, & odiamus vitia in propinquis, quæ nos impediunt à regno Dei: & in omnibus communiter naturam diligamus, quam Deus fecit.

De gradibus charitatis.

Sciendum quoque est, diversos esse gradus charitatis. Est enim charitas incipiens, proficiens, perfecta, & perfectissima. Unde Augustinus tract. vi. in Epist. I. Joan. cap. 111. „Perfecta charitas hæc est, ut quis paratus sit pro fratribus etiam mori. Sed numquid mox ut nascitur, etiam prorsus perfecta est? Immo ut perficiatur, nascitur; cum fuerit nata, nutritur; cum fuerit nutrita, roboratur; cum fuerit roborata, perficitur; cum ad perfectionem venerit, dicit Philipp. I. 23. Cupio dissolvi &c.“ Hic aperte progressus, & perfectio charitatis insinuat; quam perfectionem etiam veritas commendat dicens Joan. xv. 13. „Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis:“ quod dictum utique est de opere dilectionis: quia major dilectionis effectus non est quam ponere animam pro aliis. Nec te moveat quod ait „Pro amica“, qui enim ponit animam pro amicis, & pro inimicis ponit, ad hoc ut & ipsi fiant amici.

DIVISIO TEXTUS.

Postquam determinavit Magister quid esset ex charitate diligendum, hic determinat de ordine charitatis. Dividitur autem hæc pars in duas. In prima determinat de ordine charitatis respectu diligibilium quantum ad quantitatem dilectionis; in secunda quantum ad quantitatem meriti, dist. xxx. ibi: *Hic quæri solet.* Prima pars dividitur in duas. In prima determinat de ordine charitatis quantum ad diversos gradus (4) diligibilium; in secunda quantum ad diversos (5) respectu status ipsius diligentis, ibi: *Sciendum quoque est, diversos esse gradus charitatis.* Prima in duas. In prima determinat ordinem charitatis respectu diligibilium; in secunda movet quasdam quæstiones circa determinata, ibi: *Solet etiam quæri, si parentes nostri mali sint, vel filii, vel fratres, an magis, vel minus diligendi sint aliis bonis hac ratione nobis non copulatis.* Circa primum duo facit. Primo ostendit charitatem habere ordinem; secundo ostendit secundum quid attendendus sit ordo iste, ibi: *Unde super hoc saepe movetur quæstio.* Et circa hoc duo facit. Primo ponit diversas circa hoc opiniones; in secunda determinat quid sibi videatur: ibi: *Verum quia præmissa movetur quæstio.* Circa primum duo facit. Primo ponit quæstiones diversas, & rationes earum; secundo ostendit quomodo prima opinio rationibus alterius partis respondet, ibi: *Sed inquit illi, quæ de ordine dilectionis supra dicuntur, esse referenda ad operis exhibitionem.* Circa primum duo facit. Primo ponit opinionem illorum qui dicunt, ordinem charitatis attendendum esse solum secundum effectum; secundo illorum qui dicunt, etiam secundum affectum attendendum esse, ibi: *Quibus obviat illud præceptum legis de diligendis parentibus.* Sed inquit illi, quæ de ordine dilectionis supra dicuntur, esse referenda ad operis exhibitionem. Hic ostendit quomodo prima opinio responderet rationibus alterius partis, & circa hoc duo facit. Primo ostendit quomodo prima opinio responderet rationibus secundæ. In secunda ostendit quomodo prima opinio.

In III. Sent. Tom. III.
(4) Al. eligibilium. (5) *Fortè onmittendum respectu, vel legendum respectus.* (5) Al. inæqualem, & movet ad effectum. (7) Al. vel effectum.

nio addit (6) æqualem dilectionem esse impendendam proximo quantum ad affectum, sicut & sibi ipsi, ibi: *Quorum etiam nonnulli tradunt affectu charitatis tantum proximos esse diligendos.*

Solet autem quæri, si parentes nostri mali sint, vel filii, vel fratres, an magis, vel minus diligendi sint aliis bonis. Hic movet quasdam quæstiones circa veritatem determinatam; & dividitur in duas partes secundum duas quæstiones quas movet. Secunda incipit, ibi: *Quæri etiam solet, cur Dominus præceperit diligere inimicos.*

QUÆSTIO I.

HIC quærentur octo.

Primo. Utrum charitatis sit habere ordinem.

Secundo. Utrum ille ordo sit attendendus secundum affectum, (7) & effectum simul, vel secundum affectum tantum.

Tertio. Utrum Deus super omnia diligendus sit.

Quarto. Utrum ejus dilectio admittat intuitum alius mercedis.

Quinto. Utrum proximos quantum nos ipsos diligere debeamus.

Sexto. Utrum inter proximos propinqui extranei præferendi sint.

Septimo. De ordine propinquorum ad invicem.

Octavo. De perfectione charitatis, & gradibus enumerationis.

ARTICULUS I.

Utrum charitas habeat ordinem.

2. quæst. xxvi. art. 1.

AD primum sic proceditur. Videtur quod charitas ordinem non habeat. Bernardus enim dicit (serm. VII. in Cant.) quod amor gradum nescit, dignitatem non considerat. Sed omnis ordo habet aliquem gradum. Ergo in charitate non est aliquis ordo.

2. Præterea. Philosophus dicit VIII. Ethic. cap. v. quod amicitia æqualitas quadam est. Sed æqualitas

est

est uniformis, diversitatem non patiens, sicut nec unitas divisionem. Ergo charitas non habet ordinem.

3. Præterea. Ordinare rationis est, cuius est confesse. Sed charitas non est in ratione, sed in voluntate, quæ non est vis collativa. Ergo in charitate non est ordo.

4. Præterea. Ordo distinctionem requirit. Sed charitas est magis unitiva inter alias virtutes. Cum ergo in aliis virtutibus non assignetur ordo, neque in charitate assignari debet.

5. Præterea. Omne illud quod pertinet ad actum virtutis sicut circumstantia quædam necessaria, cadit sub præcepto. Sed ordo dilectionis non cadit sub præcepto: quia ex quo impendo alicui quod debeo, lex non prohibet quin illi cui non teneor, plus impendam. Ergo ordo dilectionis non est circumstantia debita in charitate.

Sed contra. Sicut Dionysius dicit IV. cap. de div. Nom. malum hominis est contra bonum rationis esse. Sed malum hominis est contra virtutem esse. Ergo in qualibet virtute oportet bonum rationis esse. Sed bonum rationis est quod homo faciat ordinate, unumquodque quod facit. Cum ergo charitas sit virtus, oportet quod ordinem habeat.

Præterea. Actus virtutum variatur secundum exigentiam objectorum. Sed objectum charitatis, quod est bonum, ordinem habet, cum quoddam sit melius altero. Ergo & charitas debet ordinem habere.

Præterea. Ubi quæque unum est propter alterum, ibi est aliquis ordo. Sed charitas diligit aliquid propter alterum, sicut omnia propter Deum. Ergo charitas ordinem habet.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod in quolibet actu virtutis oportet esse modum: quia non est justus aliquis, nisi iusta iuste faciat. Modus autem in actu virtutis est ex commensuratione potentie ad objectum, ut ab eodem a quo speciem habet, mensuram recipiat. Objectum autem charitatis bonum est hoc modo quod bonum simpliciter, ut dicit Philosophus in VIII. Ethic. cap. v. est amabile simpliciter, unicuique autem proprium bonum. Unde cum in hoc contingat esse magnam diversitatem, & gradus diversos, secundum quod unum est altero melius, vel magis propinquum, oportet quod etiam & actus dilectionis ordinem habeat, ad hoc quod sit virtuosus.

Ad primum ergo dicendum, quod in amore potest accipi duplex gradus. Unus diligibilis ad diligibile; & de hoc gradu loquitur Bernardus. Hunc tamen gradum quodammodo scit amor, quodammodo nescit. Scit quidem quantum ad exteriorem effectum, quia non eadem superioribus, & æqualibus impendit; sed nescit quantum ad affectum, in quantum unit amantem amato: & interdum aliquid de affectu in effectu relucet, ut scilicet ad superiores nos magis confidenter habeamus, & ad inferiores magis socialiter.

Ad secundum dicendum, quod amicitia non consistit in æqualitate æquiparantia solum: quia potest esse ad superiores, inferiores, & æquales: sed consistit in æqualitate proportionis: quæ quidem æqualitas diversitatem non refugit quantitatis; sicut eadem proportio, scilicet sexquialtera, est trium ad duo, & sex ad quatuor, quamvis inæqualis sit quantitatis excessus.

Ad tertium dicendum, quod actus rationis dilectionem præcedit. Priora autem aliquid sui in posterioribus relinquunt, & ordo quem facit ratio, in dilectione invenitur, ut dilectio sit ordinata: non quod ipsa ordinem faciat, sed quia in ordinata bona per rationem accepta ordinate tendit.

Ad quartum dicendum, quod aliæ virtutes ordinant hominem in seipso, sicut fides, temperantia, & huiusmodi; justitia vero ordinat ad alium, secundum quod æquatur ei quantum ad res, circa quas est iustitia; sed charitas ordinat ad alium, secundum quod unit per affectum quantum ad ipsum: & ideo proprium objectum charitatis est ipsa rationalis natura, ad quam charitas habenda est, in qua plurimi gradus inveniuntur: & ideo magis assignatur ordo in charitate quam in aliqua alia virtute.

Ad quintum dicendum, quod in uno genere non potest esse nisi unum summum: & ideo si diligo aliquid quasi ultimum finem, non possum Deum diligere quasi ultimum finem. Ex hoc ergo ipso quod alterum quod est minus diligendum, æquiparo in dilectione ei quod diligendum est magis, non totum dilectionis quod debeo, impendo ei quod magis diligendum est; & similiter etiam patet in aliis. Unde charitatis ordo est in præcepto; & peccat qui præpostere agit, ut in littera dicitur.

ARTICULUS II.

Utrum ordo charitatis sit attendendus secundum affectum, vel secundum effectum.

1. Ad secundum sic proceditur. Videtur quod ordo charitatis non sit attendendus secundum affectum, sed secundum effectum tantum. Sicut enim prima veritas, cui innitur fides, est una in omnibus; ita summa bonitas, cui innitur charitas, una est. Sed fides æqualiter certat de omnibus quæ ex fide creduntur. Ergo & charitas æqualiter afficitur ad omnia quæ ex charitate diligitur.

2. Præterea. Actus mensuratur secundum rationem objecti. Sed quamvis plura sint quæ ex charitate diliguntur, tamen in omnibus est una ratio dilectionis, scilicet divina bonitas, quæ est objectum charitatis. Ergo ad omnia quæ ex charitate diliguntur, est æqualis affectio.

3. Præterea. Quanto aliquis ad alterum magis afficitur, tanto majus bonum ei desiderat. Sed omnibus quæ ex charitate diligimus, idem bonum optamus, vel de habitu complacet nobis, scilicet vita æterna. Ergo æquali affectione omnes diliguntur.

4. Præterea. Ordo charitatis est in præcepto. Non autem est in præcepto quantum ad affectum: quia dum exhibeam unicuique quod sibi debeo, etiam si sine affectu faciam, non sum reus præcepti. Ergo ordo charitatis non attenditur secundum affectum tantum.

5. Præterea. Ubi est major affectus, est etiam majus meritum: quia meritum secundum radicem charitatis mensuratur. Sed non magis meretur homo in dilectione propinquorum quam aliorum, vel etiam sui ipsius quam aliorum. Ergo ordo amoris non est accipiendus secundum affectum.

Sed contra. Gregorius dicit hom. xxx. sup. Evang. quod probatio dilectionis est exhibitio operis. Si ergo secundum affectum est ordo, oportet quod etiam sit secundum effectum.

Præterea. Bonum est objectum charitatis quantum ad affectum. Sed ordo charitatis, ut dictum est,

ARTICULUS III.

Utrum Deus sit super omnia diligendus ex charitate.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod Deus non sit supra omnia diligendus ex charitate. Quia, sicut dicit Dionysius IV. cap. de div. Nom. amor est unitiva virtus. Sed magis est sibi unusquisque unitus quam Deo. Ergo magis ex charitate debet se diligere quam Deum.

2. Præterea. Philosophus dicit in VIII. Ethic. cap. v. quod unicuique est amabile quod est sibi bonum. Sed quidquid diligit propter hoc quod est sibi bonum, propter seipsum diligit homo. Ergo quidquid diligit, propter seipsum diligit. Ergo se magis diligit omnibus quæ diligit; & ita non diligit Deum supra omnia.

3. Præterea. Philosophus dicit in IX. Ethic. cap. IV. quod amabilia quæ sunt ad alterum, veniunt ex amicabilibus quæ sunt ad seipsum. Sed primum in quolibet genere est potissimum. Ergo amor quem quisque habet ad seipsum, est potior amore quem habet ad alterum; & ita quisque plus seipsum quam Deum diligit secundum naturam, & ita etiam secundum charitatem, cum gratia naturam non destruat.

4. Præterea. Sicut dicit Gregorius, hom. xxx. in Evang. probatio dilectionis est exhibitio operis. Sed tantum quisque facit pro gratia conservanda, sive beatitudine creata habenda, quantum pro Deo. Ergo tantum diligit quis gratiam, vel beatitudinem creatam, quantum Deum. Sed dilectio qua dicimur diligere virtutem, vel aliquod accidens, refertur ad ipsum subjectum accidentis, cui desideratur illud accidens. Ergo tantum quisque diligit se habens charitatem, quantum Deum.

5. Præterea. Tantum quisque diligit proximum, quantum diligit Deum in proximo, vel in seipso: quia Deus non est melior ipse quam ubicumque est. Ergo tantum quisque diligit seipsum, vel proximum, quantum diligit Deum; & ita non diligitur Deus ex charitate super omnia.

Sed contra. Finis magis diligendus est his quæ sunt ad finem. Sed Deus est finis omnium diligibilium ex charitate. Ergo ipse ex maxime diligendus.

Præterea. Unicuique est diligibile proprium bonum, secundum Philosophum. Sed Deus est majus bonum quam aliquid aliud, & est proprium magis alicui quam aliquid aliud: quia est magis intimum anime quam etiam ipsa sibi, ut dicitur in Libro de spiritu & anima (a) cap. XIV. Ergo Deus super omnia diligendus est.

Præterea. Quod est causa aliorum in unoquoque genere illo maximum est in genere, ut dicitur in II. Metaph. text. III. Sed Deus est causa, & ratio quare omnia ex charitate diligantur, quia divina bonitas est per se objectum charitatis. Ergo magis diligendus est Deus quam aliquid aliud.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod cum objectum amoris sit bonum, dupliciter aliquis tendere potest in bonum alicujus rei. Uno modo ita quod bonum illius

art. præc. in corp. attenditur secundum diversitatem bonorum. Ergo charitas habet ordinem non solum secundum effectum, sed etiam secundum affectum.

Præterea. Sicut charitas principaliter respicit affectum, ita beneficentia respicit effectum. Si ergo ordo esset solum secundum effectum, non esset hæc ordinatio charitatis, sed solum beneficentiae; quod est contra auctoritatem Canticorum in littera inductam.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod effectus exterior non pertinet ad charitatem, nisi in quantum ex affectu procedit, in quo primo est charitatis actus. Unde si esset ordo in effectu tantum attendendus, ordo ille nullo modo ad charitatem pertineret, sed ad alias virtutes magis, sicut ad liberalitatem, vel misericordiam. Unde cum charitas ordinata perhibetur, oportet quod ordo in effectu observetur, & ex affectu in effectu procedat: non hoc modo quod ei qui plus ex affectu diligitur, magis in effectu impendatur; sed quod homo sit paratus magis impendere, si necesse foret: quia quandoque qui diligitur, nostris auxiliis non indigent. Et hoc etiam patet per simile in natura: quia unicuique rei naturali tantum (1) inditum est à Creatore de amore naturali erga aliquid, quantum necessarium est ut effectum circa id exhibeat: & similiter secundum gradum qui necesse est ut observetur in effectu, ordo affectus lege divina imperatur.

Ad primum ergo dicendum, quod objectum fidei non est veritas prima secundum quod est in re existens tantum, sed secundum quod est nobis divinitus annuntiata: quia fides ex auditu est: & ideo quia omnia quæ sunt fidei, annuntiata sunt nobis eodem modo, ideo æqualis certitudo de eis habetur. Sed charitatis objectum est bonum, secundum quod est in rebus: & ideo cum in diversis rebus diversimode divina bonitas inveniatur, oportet quod diversimode affectio nostra in illas transeat.

Ad secundum dicendum, quod quamvis est eadem ratio communis diligendi in omnibus, tamen illa ratio non æqualiter participatur in singulis: & ideo nec æqualis affectio eis debetur.

Ad tertium dicendum, quod (2) intensio actus, præcipue in actibus anime (quæ non necessario secundum totum suum posse agit sicut naturalia) non mensuratur ad quantitatem objecti tantum, sed ad efficaciam agentis, & conatum in agendo: unde non melius videt qui majorem rem intuetur, sed qui clarius videt: ideo etiam non oportet quod æqualiter afficiat ad illud cui æquale bonum desidero.

Ad quartum dicendum, quod ille qui impendit quod debet alicui sine affectu, quamvis non sit reus præcepti quod est de actu iustitiæ, est tamen reus præcepti quod est de charitate: unde Rom. II. sicut vitium reputatur sine affectione esse.

Ad quintum dicendum, quod de quantitate meriti diligibilium diversorum quæstio erit in sequenti dist. & ideo ibi reservetur.

(1) Al. inductum est à causatore. (2) Al. intensio. Ex Edr. P. Nicol. (a) Inter opera Augustini. Tom. III. quamvis illius non est, cum Boetium citet cap. XVII. id est Auctorem centum circiter annis posteriorem Augustino.

lius rei ad alterum referat, sicut quod bonum unius rei optet alteri, si non habet; vel complaceat sibi, si habet: sicut amat quis vinum, in quantum dulcedinem vini peroptat, & in hoc gaudet quod eo fruatur, non quod vinum ipsum habeat: & hic amor vocatur a quibusdam amor concupiscentiæ. Amor autem iste non terminatur ad rem quæ dicitur amari, sed reflectitur ad rem illam cui optatur bonum illius rei. Alio modo amor fertur in bonum alicujus rei ita quod ad rem ipsam terminatur, in quantum bonum quod habet, complaceat quod habeat, & bonum quod non habet, optatur ei: & hic est amor benevolentia, qui est principium amicitia, ut dicit Philosophus in IX. Ethic. cap. vi. Unde gradus charitatis secundum hunc modum amoris attendendi sunt, quia charitas amicitiam includit, ut supra dist. xxvii. quæst. 11. art. 1. corp. dictum est. Bonum autem illud unusquisque maxime vult salvari quod est sibi magis placens: quia hoc est appetitui informato per amorem magis conforme; hoc est autem suum bonum. Unde secundum quod bonum alicujus rei est, vel aestimatur magis bonum ipsius amantis, hoc amans magis salvari vult in ipsa re amata. Bonum autem ipsius amantis magis invenitur ubi perfectius est: & ideo (1) quia pars quælibet imperfecta est in seipsa, perfectionem autem habet in suo toto, ideo etiam naturali amore pars plus tendit ad conservationem sui totius quam sui ipsius. Unde etiam naturaliter animal opponit brachium ad defensionem capitis, ex quo pender salus totius. Et inde est etiam quod particulares homines seipsos morti exponunt pro conservatione communitatis, cujus ipsi sunt pars. Quia ergo bonum nostrum in Deo perfectum est, sicut in causa universali prima, & perfecta bonorum; ideo bonum in ipso esse magis naturaliter complaceat quam in nobis ipsis; & ideo etiam amore amicitia naturaliter Deus ab homine plus seipso diligitur. Et quia charitas naturam perficit, ideo etiam secundum charitatem Deum supra seipsum homo diligit, & super omnia alia particularia bona. Charitas autem supra naturalem dilectionem ipsius addit quamdam associationem in vita gratia, ut supra loc. cit. dictum est. Quidam autem dicunt, quod aliquis naturaliter amore concupiscentiæ Deum plus seipso diligit, in quantum divinum bonum est sibi delectabilius; sed amore amicitia plus seipsum naturaliter quam Deum diligit, dum plus se vult esse, & vivere, & habere aliqua bona quam Deum: sed charitas ad hoc naturam elevat, ut etiam per amicitiam aliquis plus Deum diligit quam seipsum. Sed prima opinio probabilior est: quia inclinatio naturæ hominis, in quantum est homo, nunquam contradicit inclinationi virtutis; sed est ei conformis.

Ad primum igitur dicendum, quod amor non est unio ipsarum rerum essentialiter, sed affectuum. Non autem est inconveniens ut illud quod est minus conjunctum secundum rem, sit magis conjunctum secundum affectum, dum plerumque ea quæ realiter nobis conjuncta sunt, nobis displiceant, & ab affectu maxime discordent. Sed amor ad rerum unionem inducit, quantum possibile est: & ideo amor divi-

(2) Al. deest quia. (3) Al. ipsum.

Ex EBIT. P. NICOL. (a) Quid est quod ad marginem prius indicabatur August. 51. Certe in Lib. I. homiliarum, hom. 38. ait: *Cavere debemus, ne ad præmium diligamus Deum: & tract. 111. in Joan. Noli ad præmium diligere Deum: & in sententiis a Prospero collectis est eodem: Hoc affectu colendus Deus, ut sui cultus ipse sit merces: ut sent. xx. plenius habet. Sed quod hic proponitur, sumptum potius ex Bernardo videri potest in tract. de diligendo Deo, cap. vii. ubi paullo aliter ait: *Non sine præmio diligitur Deus, etsi absque præmio intuitu diligendus sit.**

nus facit hominem, secundum quod possibile est non sua vita, sed Dei vivere, sicut Apostolus dicit Gal. 11. 20. *Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus.*

Ad secundum dicendum, quod quamvis unicuique sit amabile quod sibi est bonum, non tamen oportet quod propter hoc sicut propter finem ametur, quia est sibi bonum, cum etiam amicitia non retorqueat ad seipsum bonum quod ad alterum optat: diligimus enim amicos, etiam si nihil nobis debeat inde fieri.

Ad tertium dicendum, quod amabilia quæ sunt ad alterum, venerunt ex amicabilibus, quæ sunt ad seipsum, non sicut ex causa finali, sed sicut ex eo quod est prius in via generationis. Quia sicut quilibet sibi prius est notus quam alter, & quam Deus; ita etiam dilectio quam quisque habet ad seipsum, est prior ea dilectione quam habet ad alterum, in via generationis.

Ad quartum dicendum, quod opera nostra, proprie loquendo, non proportionantur affectioni quæ (2) Deum in seipso diligimus: quia ex nostris operibus nihil ei accrescit, vel accrescere potest. Sed si esset possibile, quod ex nostris operibus aliquid ei accresceret, habens charitatem multo plura faceret propter beatitudinem ei conservandam, quam propter eam sibi adipiscendam.

Ad quintum dicendum, quod Deus ubique æqualiter diligitur; tamen divinum bonum in isto esse, non est tantum amabile, sicut ipsum esse in Deo: quia non æque perfecte in omnibus est.

ARTICULUS IV.

Utrum in dilectione Dei possit haberi respectus ad aliquam mercedem.

2. 2. quæst. xxvii. art. 3.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod non possit in dilectione Dei haberi respectus ad aliquam mercedem. Quia Joan. x. mercenarius vituperatur. Sed mercenarius dicitur qui mercedem quærit. Ergo dilectio Dei ex charitate non admittit respectum mercedis.

2. Præterea. Augustinus (a) dicit: *Deo licet sine præmio serviri non possit, tamen sine intuitu præmii serviendum est.* Sed præmium nihil aliud est quam merces laboris. Ergo sine respectu mercedis Deo serviendum est.

3. Præterea. Amicitia civilis quamvis habeat multas dilectiones, & utilitates, tamen ad eas non respicit, sed supra honestum fundatur. Sed amicitia charitatis magis est honesta quam amicitia civilis. Ergo nec ipsa ad aliquam utilitatem respicit.

4. Præterea. Merces est finis eorum quæ propter mercedem fiunt. Sed finis diligitur magis quam ea quæ sunt ad finem. Si ergo Deus propter aliquam mercedem diligeretur, aliquid aliud magis diligeretur Deo; quod est contra rationem charitatis.

5. Præterea. Sicut per charitatem homo adipiscitur

rum præmium, ita etiam fugit poenam. Sed charitas expellit timorem poenæ, maxime si sit perfecta. Ergo videtur, quod etiam excludit intuitum mercedis.

Sed contra. Sicut dicitur in Glossa interlineali, Matth. 1. spes generat charitatem. Sed spes est expectatio mercedis. Ergo charitas potest esse cum intuitu mercedis.

Præterea. Hebr. xi. dicitur de Sanctis Patribus, quod aspiciabant in remunerationem. Sed constat quod ipsi diligebant Deum ex charitate. Ergo dilectio Dei ex charitate compatitur intuitum mercedis.

Præterea. Amicorum est quod quærant invicem perfrui. Sed nihil aliud est merces nostra quam perfrui Deo, videndo ipsum. Ergo charitas non solum non excludit, sed etiam facit habere oculos ad mercedem.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod merces proprie dicitur præmium quod quis ex labore, vel aliquo opere meretur. Præmium autem est quod alicui in bonum ejus redditur: unde merces, in quantum hujusmodi, importat aliquid referibile per amorem ad id cui merces redditur; mercedem enim aliquis propter seipsum amat. Non tamen est de ratione mercedis quod sit intentionis finis: quia plerumque aliquis mercedem ex opere non quærit, cui merces datur. Ea autem quæ propter se aliquis diligit, vel sunt perfectiones illius formaliter, sicut sanitas, virtus, operatio, dilectio, & hujusmodi; vel sunt effectiva, vel conservativa horum, aut contrariorum prohibitiva. Unde si aliquis amat aliquid extra se propter seipsum, illud potest dici merces, in quantum ex eo aliquid in ipso relinquitur, vel conservatur. Sed sicut supra dictum est, de ratione amicitia est quod amicus sui gratia diligatur: unde amicus non habet in amicitia rationem mercedis, proprie loquendo, quamvis ea quæ ex amico in nobis fiunt, rationem mercedis habere possint, sicut delectationes, & utilitates quæ ex ipso amans consequitur, ratione quarum ipse amicus merces dicitur quasi causaliter, sicut dicitur Deus merces nostra ratione eorum quæ ex ipso in nobis sunt. Patet ergo quod ponere mercedem aliquam finem amoris ex parte amati, est contra rationem amicitia. Unde charitas per hunc modum oculos ad mercedem habere non potest: hoc enim esset Deum non ponere ultimum finem, sed bona quæ ex ipso consequitur. Sed ponere mercedem esse finem amoris ex parte amantis, non tamen ultimum, prout scilicet ipse amor est quædam operatio amantis, non est contra rationem amicitia: quia ipsa amoris operatio cum sit quoddam accidens, non dicitur amari nisi propter suum subjectum, ut ex dictis patet: & inter ea quæ propter se aliquis diligit, potest esse ordo, salva amicitia: unde & ipsam operationem amoris possumus amare, non obstante amicitia, propter aliquid aliud. Erit tamen contra rationem virtutis, si virtutis operatio propter aliquid aliud virtute inferioris, cujusmodi sunt temporalia bona, diligatur. Patet ergo quod habens charitatem non potest habere oculos ad mercedem, ut ponat aliquid quodcumque finem amati, scilicet Dei (hoc enim esset contra rationem charitatis, ut est amicitia quædam) nec iterum ut ponat aliquid bonum temporale finem ipsius amoris, quia hoc est contra rationem charitatis, ut est virtus: potest tamen habere oculos ad mercedem, ut ponat beatitudinem creatam finem amoris, non autem finem amati: hoc enim neque est contra rationem amicitia, neque contra rationem virtutis,

cum beatitudo virtutum sit finis.

Ad primum ergo dicendum, quod mercenarius ibi dicitur qui opus spirituale propter mercedem temporalem exercet.

Ad secundum dicendum, quod sine intuitu præmii serviendum est, ita quod præmium non ponatur finis ejus quod amatur, & cui servitur, sed quod ponatur finis ipsius servitii, vel amoris.

Ad tertium dicendum, quod amicitia non respicit delectationes, & utilitates amicorum quasi finem, propter quem amicus amat.

Ad quartum patet solutio per ea quæ dicta sunt in corp.

Ad quintum dicendum, quod bonum de quo est spes, magis est consonum amoris, quam malum, de quo est timor: & ideo quamvis perfecta charitas foras mittat timorem poenæ, non tamen oportet quod foras mittat intuitum mercedis.

ARTICULUS V.

Utrum homo magis debeat seipsum ex charitate diligere quam proximum.

2. 2. quæst. xxvi. art. 4.

AD quintum sic proceditur. Videtur quod homo ex charitate non debeat seipsum magis quam proximum diligere. Illud enim propter quod aliud relinquitur, magis amatur. Sed charitas facit hominem seipsum relinquere quodammodo, & amato inhærere: quia Dionysius dicit de div. Nom. cap. iv. quod amor ponit hominem extra se, & collocat eum in amato. Ergo plus amat amicum quam se.

2. Præterea. Deum magis quam nos ipsos diligimus, in quantum bonum nostrum perfectius in eo quam in nobis invenitur. Sed similiter perfectius invenitur in aliquo proximorum quam in nobis: quia bona quæ nos habemus, perfectius habent. Ergo debemus magis proximum quam nos ipsos diligere.

3. Præterea. Illud quod aliquis maxime in seipso diligit, est vivere, & esse. Sed charitas facit ponere vitam corporalem pro fratribus: quidam enim gentiles pro amore amicorum se morti exposuerunt sine aliqua spe vitæ æternæ. Ergo amicitia, & charitas facit magis diligi proximum quam seipsum.

4. Præterea. Illos magis diligimus quorum bona magis optamus, & mala magis vitamus. Sed sicut dicit Philosophus in IX. Ethic. cap. xiiii. *in tristitiis amicos tarde vocandum, ad eorum autem tristitias prompte eundem; in lætitiis autem e converso, quia eos prompte vocandum, difficulter ad eorum lætitiis se ingerendum.* Ergo charitas facit magis amare proximos quam seipsos.

5. Præterea. Beneficentia est effectus charitatis. Sed magis laudantur qui sunt benefici ad amicos quam qui sunt benefici ad seipsos. Ergo charitas facit magis amare proximos quam seipsum.

6. Præterea. Amicitia facit hominem gaudere de conversatione cum amicis. Sed homo magis delectatur de conversatione ad amicos quam de conversatione sui ad seipsum. Ergo plus amicos, & proximos quam seipsum diligit.

Sed contra. Quanto quis amat salutem alicujus, tanto vitat peccatum ejus. Sed homo magis debet vitare peccatum suum quam peccatum alterius. Ergo magis debet amare vitam suam quam salutem alterius.